

utilitatis, in quo Papa consuli, atque dispensatio ab eo peti non potest. Tunc enim Episcopus posse dispensare in pluralitate Beneficiorum curatorum, docet Abbas *cit. c. Extirpandæ. in Reper. §. Qui verò. n. 38. h. t. Hoieda, ubi supra, n. 22. Rebuffus in Praxi Benefic. tit. de Dispensatione ad plura Beneficia. n. 30.* citans Archidiaconum in *c. Licet canon. de Election. lib. 6. Layman lib. 4. Theol. Mor. tract. 2. cap. 7. n. 9. Pirhing h. t. n. 185. & alii. Qui tamen post Garciam *cit. part. 11. cap. 5. n. 340. & alios, notant, rarissimè talem casum accidere posse, commodè enim necessitatibus Ecclesiarum subveniri poterit per constitutum Vicarium temporalem, qui interim regat Ecclesiam vacantem, donec dispensatio Apostolica adveniat.**

265 Resp. III. Potest tamen Episcopus ex justa causa, ut puta, ob sufficientem redditum pro honesta sustentatione Clerici, dispensare, ut quis in eadem Ecclesia una cum Præbenda Canonicali possit obtinere unum Personatum, vel Dignitatem, aut Præposituram, sive administrationem, vel Officium perpetuum. Textus, Glossa *ψ. Nisi unicum, & DD. communiter, cap. un. de Consuetud. in 6. Idipsum admittunt Doctores de Statuto, vel consuetudine Ecclesiæ, juxta Glossam proximè citatam. Quinimò plures volunt, nullà hodie opus esse dispensatione, etiam Episcopali, ad ista Beneficia (utpote difformia sub eodem tecto) simul obtinenda, ac retinenda; cum jus ipsum istud concedat, dummodò Beneficiarius, spectato statu suo, eidem verè indigeat pro sua honesta sustentatione. Rebuffus *cit. tit. de Dispensatione ad plura Beneficia. n. 29. Layman cit. n. 9. allegans alios; & concordant dicta superius n. 210. & n. 238. & 239.**

266 Hoc ipsum ampliatur ad duo Beneficia simplicia, quorum neutrum, vel saltem non utrumque, personalem residentiam requirit. Item ad Beneficium curatum tenue, cui proinde ad honestam Clerici sustentationem potest per Episcopum adungi aliud Beneficium simplex sufficientis, personalem tamen residentiam non requirens; juxta textum expressum in Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 17. de Reform. cujus verba n. 263. jam sunt allegata. Quod tamen intellige, dummodò Episcopus nulli conferat duo Beneficia uniformia, etiam simplicia, sub eodem tecto; conformiter dictis supra §. *preced. n. 240. & seqq. Simulque ultra duo nulli conferat. Quod ultimum ut magis intelligatur,**

267 Queritur IV. An Episcopus habenti duo Beneficia, etiam simplicia, & ad honestam Clerici sustentationem non sufficientia, possit sua autoritate ordinari conferre tertium? Resp. I. Antiquitus, sive ante Concilium Tridentinum, licitum fuit, ex dispensatione Episcopi plura Beneficia, aliis tamen compatibilia, simul retinere, etiam ultra duo, usque ad congruam sustentationem. Ita Abbas *c. Cum jam dudum. n. 8. & c. Extirpandæ. in Reperit. §. Qui verò. h. t. Alfons. Hoieda Tractatum tom. 15. tract. de Beneficior. incompatibilitat. part. 2. cap. 1. n. 15. & 35. Navarrus Consil. 19. n. 2. asserens, sententiam Abbatis communiter esse receptam. Pirhing h. t. n. 187. Garcias part. 11. de Beneficiis, cap. 5. n. 306. citans alios. Ratio est: quia nullo Jure antiquo istud reperitur prohibitum.*

268 Resp. II. Defactò, sive post Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 17. de Reform. potest quidem Ordinarius habenti Beneficium tenue, seu non sufficienti ad ejus honestam sustentationem, conferre secundum; sed non ultra duo ad effectum retentionis. Ita Garcias part. 11. de Beneficiis, cap. 5. num. 310. & seqq. ubi plures refert Declarationes Sacræ Congregationis Concilii Tridentini; quarum secunda, quam allegat, sic habet: Episcopus potest conferre*

secundum Beneficium, si primum non sufficiat ad sustentationem: sed si duo non sufficiant, non potest conferri tertium absque dispensatione Apostolica. Cæteræ plures Declarationes, per eundem Garciam adductæ, tradunt hoc ipsum. Concordat Barbosa *part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 62. n. 6. & lib. 3. Jur. Ecclesiast. univ. cap. 13. n. 180. citans pariter Declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Pirhing h. t. n. 187. id ipsum probans ex Declaratione Sacræ Congregationis Concilii in cap. 17. *Sess. 24. quæ verbatim concordat cum priori per Garciam relata.**

Eandem sententiam, ex professo à se examinatam, 269 tenet Fagnanus in *c. Cum jam dudum. n. 31. & seqq. de Præbend. eamque distinctim, refutat pluribus antiquorum opinionibus, probat ex novissimo Decreto Concilii Tridentini *Sess. 24. cap. 17. de Reform. ubi (omissis nunc prioribus ejusdem verbis) Statuit; ut imposterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem, si ad vitam ejus, cui conferatur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficienti, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Siquidem Sacra Synodus verbis, Statuit, ut imposterum &c. induxit Jus novum, juxta notata per Glossam in *Clem. Eos qui. y. Deinceps. de Regularib. Deinde illis verbis, Unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, junctis sequentibus verbis illis, Aliud simplex, Concilium constituit regulam, ut unum tantum Beneficium singulis conferatur: & permittit secundum in eo solum casu, in quo primum est insufficienti. Atque hanc esse mentem Sacri Concilii Tridentini, patet ex Declarationibus Sacræ Congregationis, quæ teste eodem Fagnano *cit. c. Cum jam dudum. nu. 71. h. t. scriptis in casibus contingentibus respondit, Episcopum habenti unum simplex Beneficium, quod non sufficiat ad ejus sustentationem, possit aliud simile conferre, sed non posse ultra duo absque dispensatione Sedis Apostolicæ, etiamsi omnia simul ad illius sustentationem non sufficiant. Hæc Fagnanus, olim eidem Sacræ Congregationi à Secretis, sicque pleniori de præmissis cognitione præcedit.****

Nec obstat, quòd oppositam sententiam teneant Navarrus *Consil. 10. de Præbend. Flamin. Parisius lib. 3. de Resignat. Benefic. cap. 1. n. 141. & Alfons. Hoieda cit. part. 2. de Incompatibilit. Benefic. cap. 1. num. 15. & seqq. ac præsertim n. 36. ubi asserit, hanc opinionem esse receptam, & approbatam à stylo Curæ Romanæ: Nam videmus (inquit) quòd post publicationem Concilii Tridentini, & ejus confirmationem, Romani Pontifices, nempe Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. concesserunt sæpius, & sæpius uni Beneficiario multa Beneficia simplicia residentiam non requiruntia simul. Addunt rationem: quia habere plura Beneficia ceteroquin compatibilia, quando duo ad honestam sustentationem non sufficerent, licebat Jure antiquo, juxta dicta *Concl. preced. & istud non est mutatum per Concilium Tridentinum loc. cit. ergo ita dicendum defactò, l. Præcipimus. C. de Appellat. cum similibus. Resp. enim, Stylium Curæ Romanæ procedere duntaxat respectu autoritatis Pontificiæ, per quam posse obtineri, simulque retineri plura Beneficia usque ad congruam sustentationem, nemo negat: secus loquendo de autoritate, & dispensatione Episcopali; prout liquet ex Declarationibus Sacræ Congregationis Concilii n. 268. & 269. relatis.**

Ad alterum, negatur assumptum. Nam, quòd 271 Concilium Tridentinum, ubi supra, statuendo Jus novum, quandam circa hanc mutationem induxerit, patet ex dictis numer. 261. & seq. Et dato, quòd

quòd verba dicti Concilii nonnullam continerent obscuritatem, neque adeò clarè istud expressissent: nihilominus ejusdem Concilii interpretatio non pertinet ad privatos Authores, puta, Navarrum, Parisium, & Hoiedam, ob expressam prohibitionem Pii IV. sed duntaxat ad Sacram Congregationem Concilii, quæ hæcno ita sensit, intellexit, declaravitque memoratum Concilium. Porro, quòd hujus Declarationes, si afferantur in debita forma (prout, si opus fuerit, faciliè haberi poterunt) sint autoritative, vimque obligandi in utroque Foro habeant, ex professo dictum est supra in *proemio Lib. 1. Decretal. n. 130. & seqq.*

272 Et hæc procedunt ipefacto Jure communi. Nam, si alicubi vigeret consuetudo recepta, atque legitime præscripta, ut si duo Beneficia honestè Clerici sustentationi non sufficiant, aliud simplex conferatur etiam Episcopi autoritate, non videtur negandum, quin id solà Episcopi voluntate fieri possit: prout notat Azorius *part. 2. lib. 6. cap. 11. quest. 8. in fin. Idque probatur per vulgata Juris principia: tum quia consuetudo rationabilis, & legitime præscripta, derogat Juri positivo humano, cap. ult. de Consuetud. cum similibus. Tum quia consuetudo legitime præscripta tribuit Jurisdictionem, c. Duo simul 9. de Offic. Ordinari. & c. Cum contingat. 13. junctà Glossa fin. de Foro competent. Adeò, ut virtute ejusdem possit Episcopus juxta dicta superius *Lib. 1. Tit. 2. De Constitutionibus. §. 18. n. 471. Quamquam consuetudinem esse difficultè probationis, ac proinde non illicè asserendam, passim notant Doctores, cum Glossa *fin. cit. cap. ult. de Consuetud. Simulque hinc excipi debent tria Beneficia sub eodem tecto, conformiter dictis paulo superius n. 211.***

273 Additur tamen in data n. 268. Conclusione, sed non ultra duo ad effectum retentionis. Nam secus dicendum, quando Ordinarius habenti duo Beneficia, ad honestam ejus sustentationem insufficientia, confert tertium, non ut in omnia tria simul retineat; sed ut adeptà pacificè possessione tertii Beneficii, forsitan pinguioris, utpote ex prioribus dimittat: talis enim collatio tertii esset valida. Barbosa *part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 62. n. 6. citans alios; ac Nicol. Garcias cit. part. 11. de Benefic. cap. 5. n. 10. referens plures quoad propositum Sacræ Congregationis Declarationes, ac præsertim sequentem. Nam proposità dubitatione, Primò, an si Ordinarius conferat tertium beneficium habenti jam duo beneficia simplicia, & dicta duo non sufficiant ad sustentationem, talis provisio tertii beneficii sit valida, vel potius nulla; vel per affectationem tertii vacent omnia dicta priora jam alias obtenta, aut quodnam illorum? Sacra Congregatio censuit, respondendo ad Primum, Collationem tertii beneficii esse validam: sed si tertium sit sufficienti, vacare illa duo priora beneficia: sin minus, teneri provisum dimittere alterum ex istis. Hæc ibi Concordant dicenda inferius §. *seq. n. 287. & 300.**

274 Queritur V. Utrum per longævam consuetudinem induci possit, ut quis plura simul Beneficia obtinere, atque retinere valeat? Resp. I. Loquendo cum primis de Beneficiis curatis, non valet consuetudo, etiam immemorialis, obtinendi plures Ecclesias Parochiales, seu alia Beneficia curata in diversis Ecclesiis. Ita Abbas in *c. Extirpandæ. in Reperit. §. Qui verò. n. 36. h. t. Joan. de Selva Tractatum Tom. 15. tract. de Benefic. part. 4. quest. 3. n. 1. Rebuffus in Praxi Benefic. tit. de Dispensatione de non residendo. n. 66. & alii passim: nisi quòd Navarrus *Consil. 21. de Cleric. non resident. Pirhing h. t. nu. 141. & alii quidam hinc excipiunt consuetudinem immemo-**

rialem. Ratio Conclusionis est: quia ejusmodi consuetudo foret irrationabilis; cum sit damnosa Ecclesiis, & periculosa animabus Parochianorum: utpote suo proprio Rectore atque Pastore, cujus industria personalis pro meliori earundem regimine eligebatur, in perpetuum, vel saltem ad longum tempus delituit. Foret insuper irrationabilis consuetudo illa, eò quòd pugnet contra præceptum Divinum, juxta Concilium Tridentinum *Sess. 23. cap. 1. de Reform. imò & contra Jus naturale, quo Rector Ecclesiæ tenetur personaliter residere, ac vi suscepti officii Pastoralis, gerere curam commissam sibi ovium Christi: istud enim præstari non potest, stante consuetudine retinendi plura Beneficia curata in diversis Ecclesiis. Atqui consuetudo irrationabilis, & pugnant contra Jus naturale, & Divinum, nullo unquam tempore, etiam immemoriali, induci potest, cap. ult. de Consuetud. cum similibus; ergo. Concordant dicta superius *Tit. preced. §. 5. nu. 158. & 159. ubi & fundamentum Navarri, atque aliorum, consuetudinem immemorialem admittendum diluitur.**

275 Resp. II. Loquendo de Beneficiis curam ammarum non habentibus, nullà pariter consuetudine, etiam immemoriali, fieri potest, ut Canonici duos Personatus, aut duas Dignitates, vel Præposituras, seu administrationes, aut duo officia (perpetua) vel eorum alterum cum reliquo (puta, Dignitatem cum Personatu, vel Præpositura cum officio perpetuo &c.) possint in eadem Ecclesia licite absque dispensatione Sedis Apostolicæ obtinere. Ita Textus, Glossa, & DD. in *cap. 1. de Consuetud. in 6. Ubi Pontifex ejusmodi consuetudinem Corruptionis (cum sacris sit inimica Canonibus, & de ambitionis radice processerit) reputans, eam autoritate Apostolica reprobovit: sicque veluti irrationabilis, & cui Jus ipsum resistit, nullo unquam tempore introduci potest, c. Cum venerabilis. 7. & cap. ult. de Consuetud. estque amplius dictum supra *Lib. 1. Tit. 4. De Consuetudine. §. 1. n. 36. 37. & 45. Cæterum, quòd his non obstantibus, de consuetudine possit quis in eadem Ecclesia præter Canonjatum, obtinere Præposituram, vel Dignitatem &c. dictum est supra §. *preced. n. 210. & n. 238. & 239.***

276 Resp. III. Nullà consuetudine, etiam immemoriali, potest, induci, ut quis licite recipere simulque retinere valeat plura Beneficia, quando unum eorum ad honestam talis Beneficiarii sustentationem sufficiat. Patet istud ex dictis supra §. 8. n. 214. 215. 216. & seqq. Quod ipsum ampliatur ad consuetudinem retinendi duos Canonjatus diversarum Ecclesiarum Germanicæ, juxta dicta superius n. 229.

Tacentur nonnulli alii casus, in quibus valere consuetudinem quoad pluralitatem beneficiorum, nec ne, dubitari potest: nam de his vel in propriis locis videri poterit, ut paulò superius n. 210. & 211. ac seqq. & cit. n. 229. & n. 242. & alibi. Vel recurrendum erit ad generalia principia Juris, quæ quoad propositum tradi solent, atque supra *Lib. 1. Tit. 4. De Consuetudine, per totum, ex professo tradita fuerunt: quamquam principaliora eorum ex proximè dictis satis colligi, atque ad alios consimiles casus applicari valeant.*

§. X.

De vacatione Beneficiorum per affectum alterius incompatibilis.

SUMMARIUM.

277 Quà ratione successivè statutum fuerit, ut per receptio

- receptionem secundi Beneficii incompatibilis vacaret prius? Et num. seqq.
- Concorda tempora, & concordabis Jura. Ibid.
- 278 Quinque tempora quoad propositum sunt distinguenda. Et n. seqq.
- 279 Primum tempus erat ante Concilium Lateranense.
- 280 Secundum, ejusdem Concilii Lateranensis sub Alexandro III.
- 281 Tertium, Concilii Generalis, seu alterius Lateranensis sub Innocentio III. Et quid tunc statutum fuerit quoad vacationem Beneficiorum incompatibilium?
- 282 Cur c. Referente. & c. Præterea de Præbendis non superfluent in Libris Decretalium?
- 283 Et an defectus adhuc locum habeant?
- 284 Quartum tempus est Extravag. Execrabilis Joann. XXII.
- Et quid in hoc sit constitutum circa vacationem Beneficiorum incompatibilium?
- 285 Quintum tempus est Concilii Tridentini: & quid in isto fuerit decretum quoad eandem vacationem?
- 286 Beneficia incompatibilia primi generis: & Beneficia incompatibilia seundi generis, quæ?
- 287 Collatio secundi Beneficii incompatibilis, est valida.
- 288 Solvuntur instantiæ. Et num. seqq.
- 289 Collatio secundi Beneficii est prohibita dumtaxat quoad effectum retinendi utrumque: aliis secus.
- 290 Alia instantiæ. Remissive.
- 291 Ante Concilium Tridentinum receptio secundi Beneficii incompatibilis non inducebat vacationem prioris ipso jure &c.
- 292 Nisi utrumque fuisset Beneficium curatum, Dignitas, Personatus, aut Officium.
- 293 Defectus, sive post Concilium Tridentinum, per receptionem secundi quomodolibet incompatibilis, vacat prius Beneficium ipso jure. Et num. seqq.
- 294 Idque probatur ex verbis ejusdem Concilii.
- 295 Beneficia aliis incompatibilia, juxta mentem Concilii Tridentini, quæ?
- 296 Idipsum probatur multiplici Declaratione Sacræ Congregationis Concilii. Et n. præced. ac num. seqq.
- 297 Beneficium sufficiens ad honestam Clerici sustentationem, vacat per pacificam ademptionem alterius, etiam de insufficientis.
- 298 Secus, si primum est insufficientis, licet alterum de se sit sufficiens: & cur?
- 299 & 300. Referuntur aliæ Declarationes Sacræ Congregationis.
- 301 Et Authores dictam sententiam tenentes.
- 302 Afferuntur rationes in oppositum.
- 303 Una cum Authoribus contrariam sententiam tenentibus.
- 304 Atque solvuntur.
- 305 Per receptionem tertii Beneficii incompatibilis vacat ipso jure omnia priora, quæ quis ex dispensatione antea obtinebat. Et num. seqq.
- 306 Idque procedit in obtinente plures Dignitates, Personatus, vel Beneficia curata &c.
- 307 Et defectus ampliatur ad alia Beneficia quomodolibet incompatibilia.
- 308 Nisi dispensatio super illis simul retinendi legitime fuerit obtenta.
- 309 Ratio ulterior præmissorum affertur.
- 310 & 311. Objectiones notabilis ex c. Ordinarii. 3. de Offic. Ordinar. in 6. ejusque solutio.
- 312 Per cit. c. Ordinarium, non est revocatum c. De multa. h. t. Et cur?
- 313 Multum interest, an collatio Beneficii sit valida, nec ne: & quid?

- 314 Retinens secundum Beneficium und cum primo incompatibili, an privetur utroque? Et num. seqq.
- Olim privato secundi incompatibilis non inducebatur ipso jure, sed opus erat sententiæ Judicis. Ibid.
- 315 Et an privato poterit insigni, licet quis in jure noluerit contentiosè secundum retinere cum primo.
- 316 Defectus plura incompatibilia Beneficia contra Sacros Canones simul retinens, ipso jure utriusque privatus existit.
- 317 Idque probatur multipliciter. Et num. præced.

Quæritur I. Quâ ratione à Sacris Canonibus successivè statutum fuerit, ut per receptionem secundi Beneficii incompatibilis vacaret prius? Et additur notanter, successivè: nam impræsentiarum specialiter sibi locum vendicat illud vulgatum, Concorda tempora, & concordabis Jura; quod desumitur ex can. Si peccaverit. 2. q. 1. junctâ Glossâ can. Si Ecclesia. 23. q. 4. v. Temporis. Si eundem temporum varietate, atque exigentia, diversè delinquerent emanantur Decretales, atque Constitutiones Apostolicæ, quarum posteriores semper aggravantur rigorem priorum; sicque à præcedentibus non nihil discordant. Unde

Notandum est cum Abbate c. Quia nonnulli. n. 4. de Cleric. non resident. Garciae part. 11. de Beneficiis, cap. 5. n. 1. & seqq. Fagnanus in c. Referente. n. 6. h. t. & aliis communiter, quod pro rectâ intelligentiâ, & conciliatione, seu concordia Sacrorum Canonum, quantum ad propositum, quatuor tempora sint distinguenda ante Concilium Tridentinum; quibus defectus oportet addere quintum tempus, videlicet tempus post memoratum Tridentinum.

Et quidem primum tempus erat ante Concilium Lateranense, celebratum sub Alexandro III. anno Domini 1179. quo tempore habens duas Ecclesias Parochiales, vel Dignitates, conpellebatur quidem alteram dimittere, sed datâ optione, quam maluerat, eligendi, atque retinendi; sicque neutra vacaverat ipso jure. Et pro hoc tempore procedit c. Referente. 7. & c. Præterea. 14. h. t. quorum utrumque fuit editum ab Alexandro III. ante memoratum Lateranense Concilium; prout desumitur ex Supercriptione ipsorum, & notat Abbas cit. n. 4. Verum tamen dispositio horum Capitulorum successu temporis fuit immutata; & an defectus locum adhuc habeat in uno, vel altero casu, dicitur infra n. 282. & 283.

Secundum tempus est dicti Concilii Lateranensis sub Alexandro III. celebrati. In hoc siquidem Concilio cap. 13. statutum fuit; ut uni plures Dignitates, vel Ecclesiæ Parochiales non conferantur; sed cum Ecclesiâ, vel Ecclesiasticum ministerium committi deberent, talis ad hoc persona quaratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsam valeat exercere. Quod si aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra Sacros Ordines accepit, amittat: & qui dederit, largiendi potestate privetur. Hæc ibi: atque refertur c. Quia nonnulli. 3. de Cleric. non resident. Quod proinde intelligendum est pro hoc secundo tempore, ut recipiens plures Dignitates, vel Parochias, privabatur posteritis acceptâ (non quidem ipso jure, sed per sententiam Judicis; prout indicat ly. amittat, atque notat Abbas in cit. c. Quia nonnulli. n. 4. & Fagnanus, ubi supra, n. 7.) simulque ita illicitè conferens, in pœnam sui excessus, privari debebat potestate conferendi pro ea vice. Verum etiam istud Capitulum successu temporis quoad priorem suam partem immutatum fuit, et si remanserit incorrectum quoad

- quoad posteriorem; etque jam dictum supra Tit. præced. §. 1. n. 19.
- 281 Tertium tempus est Concilii Generalis; id est, Lateranensis alterius, sub Innocentio III. celebrati anno 1216. quodque per antonomasiam appellatur Concilium Generale, juxta dicta superius in præmio Libri I. Decretalium. n. 112. In hoc siquidem Generali Concilio, cum priores Constitutiones propter præsumptiones, & cupiditates quorundam, minus proficue reperirentur, expressius providendo statutum fuit, ut quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam; si prius tale beneficium habebat, eo sit ipso jure privatus, & si forte illud retinere contenderit, etiam alio privetur. Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius liberè conferat &c. Hactenus Concilium Generale: idque paulò inferius dæcernit, hoc ipsum esse observandum in Dignitatibus, & Personatibus ejusdem Ecclesiæ, etiam si curam non habeant animarum; uti patet ex c. De multa. 28. h. t. quod est desumptum ex præfato Concilio Generali; sicque intelligendum pro statu tertii temporis præallegati. Unde pro hoc tempore non amplius relinquuntur optio retinendi unum ex duobus Beneficiis curatis, Dignitatibus vel Personatibus, quæ quis recepit; neque alteri eorum solam per sententiam Judicis privari debet: sed prius per receptionem secundi vacat ipso jure, ita ut statim alteri conferri valeat; prout liquet ex allegatis verbis. Quamquam istud solummodo locum habeat in Beneficiis curatis, Dignitatibus & Personatibus, utpote de quibus tantum ibidem fit mentio, atque uberius dicitur in progressu.
- 282 Hinc si contra præmissa objicias Stante cit. c. De multa. 28. h. t. nihil amplius operatur c. Referente. 7. & c. Præterea. 14. de Præbendis. Ergo frustra hæc duo Capitula posita fuerunt in Compilatione quoque Librorum Decretalium Gregorii IX. contra dicta in Proœmio eorundem, ibi: Rescatis superfluis. Resp. cum Abbate in d. c. Referente. n. 3. h. t. Pirhing eod. num. 146. & aliis, neg. anteced. Quia enim relatum c. De multa. h. t. solum loquitur de pluribus Beneficiis curatis ac Dignitatibus & Personatibus simul receptis, quorum primum decrevit ipso jure vacare per receptionem posterioris: hinc alia memorata duo Capitula post tenentur cit. c. De multa. h. t. & quando fiebat compilatio quinque Librorum Decretalium Gregorii Papæ IX. non superfluebant, sed locum habebant in cæteris Beneficiis: nam in his adhuc Provocito relinquerebatur optio plura habenti, ut eligeret retinendum, alterum verò dimitteret, vel eodem privaretur; putâ, in Beneficiis non curatis, nec Dignitatibus vel Personatum habentibus, v. g. in duobus Canonatibus, aut duobus Beneficiis simplicibus personalem residentiam requiruntibus; itaque in uno curato, & altero simplici residentiam requirente. Siquidem correctio Jurium, quantum fieri potest, est evitanda, c. Cum expediat. 29. de Election. in 6. Nec censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori, l. Præcipimus. §. fin. C. de Appellation. cum similibus.
- 283 Addit Fagnanus in cit. c. Referente. num. 9. h. t. & Pirhing cit. n. 146. dispositionem illius Decretalis etiam defectus, atque post ipsum Concilium Tridentinum adhuc procedere, quando plura Beneficia incompatibilia simul conferuntur, eorumque possessio simul acquiritur; ita ut consistere non possit, cujus possessio prius fuerit acquisita. Nam tunc etiam datum oportet eligendi unum ex ipsis, alterumque dimittendi: quia casus iste non est decisis in cæteris posterioribus Juribus

(hæc enim solum loquuntur de pluribus Beneficiis incompatibilibus successivè acquisitis) ac proinde remanet sub dispositione Juris communis antiqui, atque expressi in cit. c. Referente. 7. h. t.

Quartum tempus, ipsimumque Concilium Tridentinum pariter præcedens, est tempus Constitutionis, seu Extravagantis Joannis XXII. quæ incipit, Execrabilis. atque refertur tum inter Extravagantes Joannis XXII. tum inter Extravagantes Communes. h. t. sed sub diversis Glossis. In qua imprimis Pontifex, post enumerata incommoda, ex pluralitate receptorum Beneficiorum provenientia, §. Statuimus itaque, multa statuit circa dimissionem plurium Beneficiorum, quæ nunc (id est, tempore publicationis dictæ Extravagantis) vel ex dispensatione legitima, vel sine ulla dispensatione nonnulli habuerunt. Deinde Pontifex, volens providere malis in futurum ex eorum pluralitate provenientibus, §. Qui verò deinceps, decrevit, ut si qui deinceps receperint Dignitatem, vel Personatum, seu Officium, aut aliud Beneficium animarum curam habens annexam, si antea simile Beneficium obtinebant, illud (quo ipso jure, postquam secundi possessionem habuerint, vel per eos omni dolo, & fraude cessantibus, quod minus habeant, steterit, privati noscuntur, absque morâ dispendio in Ordinariorum manibus dimittere debeant pari modo; Alioquin ex tunc sunt ipso jure secundo privati, & nedum ad Sacros suscipiendos Ordines, quin etiam ad habendum quodcumque beneficium Ecclesiasticum in quibus reputentur &c. Hæc ibi. Unde patet, quod hæc Extravagans exogeret dispositionem, atque rigorem cit. c. De multa. h. t. quia non solum priori Beneficio curato, vel Dignitate &c. privato ipso jure, qui recipit secundum simile; sed etiam, si illud non statim dimiserit in manibus Ordinariorum, ex tunc ipso jure etiam secundo privatus existit: additis aliis duabus pœnis, videlicet inhabilitate ad sacros Ordines, & inhabilitate ad quodcumque beneficium Ecclesiasticum, quæ ipso facto incurruntur, atque in Decretali, De multa, non erant: prout notat Glossa in cit. Extravag. Execrabilis. Joann. XXII. §. Ipso jure secundo privati.

Prædictis quatuor temporibus defectus accedit quintum, sive Tempus post Concilium Tridentinum; utpote quod Sess. 7. cap. 4. de Reform. super incompatibilitate Beneficiorum, & vacatione unius per affectuonem alterius, non solum innovat antiquos Canones, sed eosdem etiam ampliât, sequentibus verbis: Quicumque de cætero plura curata, aut aliis incompatibilia beneficia Ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commende perpetuæ, aut alio quocumque nomine, & titulo, contra formam sacrorum Canonum, & præsertim Constitutionis Innocentii III. quæ incipit, De multa, recipere, ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis, juxta ipsius Constitutionis dispositionem, ipso jure, etiam præsentis Constitutionis vigore, privati existant. Hæc ibi.

Et conformiter præmissis potest intelligi illa vulgata divisio Beneficiorum incompatibilium, videlicet primi, & secundi generis; cujus meminerunt Navarrus Consl. 24. num. 2. & 3. de Præbendis. Garciae part. 11. de Beneficiis, cap. 5. nu. 67. Vallesius tit. de Concession. Præbendis. §. 4. num. 3. & 5. Pirhing h. t. nu. 124. Sannig eod. cap. 2. n. 7. & alii. Siquidem Beneficia incompatibilia primi generis dicuntur ea, quæ simpliciter sunt incompatibilia; ita ut per pacificam receptionem secundi, vacet prius ipso jure. Et Italia, juxta sæpè cit. c. De multa. h. t. sunt duo Beneficia curata, duæ Dignitates, aut duo Personatus. Item duo Beneficia uniformia sub eodem tecto, c. Litteras. 9. de Concession. Præbendis.

Præbend. & cap. 1. junctâ Gloſâ v. Vel jam ob- tena de Conſuetud. in 6. & alia hujusmodi, quæ ia ſunt incompatibilia, ut per receptionem poſterioris illic excludatur potius, atque iſtud vacet ipſo jure. Beneficia incompatibilia ſecundi generis vicium cenſentur ea, quæ quidem ſunt incompatibilia, quoad retentionem, aded ut ſimul retineri non poſſint; non tamen per receptionem ſecundi vacat prius ipſo jure, ſed datur optio habenti, ut eligat retinendum, & alterum dimittat: alioquin verò per Judicem iſto privetur, juxta textum apertum in c. Referente. 7. h. t. Verùm deſactò, ſive poſt Concilium Tridentinum, rariùs locum habet iſtud poſterius membrum datæ diſtinctionis, dummodò excipias caſum n. 283. relatum: alioquin enim, ſi beneficia quomodocunque incompatibilia ſimul recipiantur, ſemper poſterius inducit vacationem prioris ipſo jure, juxta Concilium Trident. Seſſ. 7. cap. 4. de Reform. atque ex profeſſo dicitur n. 293. & ſeqq.

287 Quæritur II. Utrum collatio ſecundi Beneficii incompatibilis ſit valida? Reſp. I. Collatio ſecundi Beneficii, etiam cæteròquin incompatibilis, ex hoc capite non eſt nulla, ſed valida: quamvis adepta effectualiter pacificâ poſſeſſione poſterioris vacet primum, modò proximè declarandò. Ita quoad priorem partem Gloſſa ſin. in c. Ordinarit. 3. de Offic. Ordinar. in 6. & Fagnanus c. Super inordinata. numer. 9. h. t. & c. Cum jam dudum. 43. eod. iſtud inter alia probans ex eo: Quia nullum Jus offendi poteſt, quo dicitur invalida collatio ſecundi Beneficii incompatibilis. Accedit c. De multa. 28. h. t. ubi recepto ſecundo Beneficio incompatibili, dicitur vacare prius ipſo jure: nam ſi valida non eſſet collatio ſecundi, ſequeretur, quòd talis careret utroque beneficio. Primum enim vacaret ipſo jure; collatio autem ſecundi foret invalida, ſicque nullum tribueret Jus: quòd eſt contra expreſſam textum cit. c. De multa. h. t. ſuprà n. 281. relatum, ubi tunc primum jubetur quòs ſpoliari ſecundo, quando ſimul cum eo primum beneficium retinere contenderit. Concordant dicta ſuperius §. præced. n. 273.

288 Nec obſtat textus in c. Quia nonnulli. 3. de Cleric. non reſidem. ubi loquendo de Clericis, plures Dignitates, aut Eccleſias Parochiales recipientibus, ſtatutum legitur: Quòd ſi aliter (ſive contra prohibitionem illius Capituli) actum fuerit, & qui receperit, quòd contra Sacros Ordines recepit, amittat, videlicet poſterius beneficium. Reſp. enim cum Fagnano in cit. c. Quia nonnulli. nu. 8. iſtud Capitulum hodie eſſe correctum per Decretalem, & De multa. h. t. ubi recipiens ſecundam Dignitatem, aut beneficium curatum, non eſt privatus ipſo jure, nec privandus poſteriori (niſi forſan iſtud ſimul cum priori retinere contenderit) ſed ipſo jure privatus eſt priori: uti patet ex proximè diſtinctis diverſis temporibus.

289 Neque rurlus obſtat, quòd Concilium Tridentinum Seſſ. 24. c. 17. de Reform. (argumento à ſenſu contrario) prohibeat collationem ſecundi Beneficii, etiam ſimplicis, quando primum eſt ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem Clerici. Reſp. enim cum Fagnano cit. c. Cum jam dudum. n. 70. h. t. quòd iſto non obſtante, Sacra Congregatio Concilii ſæpiùs declaraverit, collationem ſecundi non eſſe irritam. Squidem Concilium loc. cit. recipit interpretationem à Jure communi: ita videlicet, ut quamvis ſimpliciter prohibeat collationem ſecundi, iſtud tamen intelligi debeat ad effectum retinendi utrumque: aliaſ ſecus.

290 Alia inſtantia proponitur, ac ſolvitur infrà n. 310. & ſeqq. ſimul offendendo n. 313. quid interſit,

quòd collatio Beneficii ſit valida, nec ne. Altera verò pars datæ n. 287. Concluſionis indiget ſpeciali diſcuſſione, & quæſtione: Unde

Quæritur III. An, & quomodò receptio ſecundi Beneficii incompatibilis, inducat vacationem prioris? Reſp. I. Ante tempus Concilii Tridentini receptio ſecundi Beneficii incompatibilis non inducebat vacationem prioris ipſo jure, ſed dabatur optio eligendi alterutrum, quòd quis mulerat, altero dimiſſo, vel per Judicem ablato: niſi utrumque fuiffet Beneficium curatum, aut Dignitas, vel Perſonatus, ſive Officium perpetuum. Ita communis Doctorum; atque patet ex diſtinctione quatuor temporum proximè relata, & communiter recepta. Et quidem prior pars deſumitur ex c. Referente. 7. & c. Prætere. 14. h. t. Hæ enim due Decretales ante tempus Concilii Tridentini non fuerunt correctæ, niſi quoad Beneficia curata, Dignitates, Perſonatus, & Officia: unde quoad alia Beneficia remanferunt in ſuo vigore. Nam quia correctio juriurium, ſi fieri poteſt, evitanda eſt, c. Cum expediat. 29. de Election. in 6. non cenſetur plus de priori lege mutatum, quam eſt expreſſum in poſteriori, l. Præcipimus. §. ſin. C. de Appellatione. Accedunt dicta n. 282.

Altera pars Concluſionis patet imprimis ex cit. c. De multa. 28. h. t. ubi loquendo de Beneficiis curatis, nec non de Dignitatibus & Perſonatibus ejuſdem Eccleſiæ, etiam curam animarum non habentibus, in Concilio Generali, celebrato ſub Innocentio III. (ſicque longè ante Tridentinum) jam ſtatutum fuerat, ut per receptionem ſecundi, illicò Beneficium ipſo jure ſit privatus priori ejuſmodi beneficio: ac notat Gloſſa ibid. in Caſu, & Abbas num. 1. & ſeqq. & Barboſa in Collectan. n. 1. citans alios; eſtque jam dictum nu. 281. Concordat Extravag. Execrabilis. Joann. XXII. §. Qui verò deinceps. h. t. idipſum ſtatuens, niſi quòd Dignitatibus, Perſonatibus & Beneficiis curatis, addiderit Officium (nempe perpetuum, arg. cap. 1. de Conſuetudin. in 6. & quia Officia temporalia non ſunt propriè dicta Beneficia) ſimulque decreverit, ut prius Beneficium incompatibile verbo, & factò, in manibus Ordinarit abſque moræ diſpendio dimitteretur: alioquin ex tunc ipſo jure vacaret utrumque, & proviſus efficeretur inhabilis ad Ordines ſacros, & quæcunque Beneficia; uti liquet ex verbis ejuſdem num. 284. relatis.

Reſp. II. Deſactò, ſive poſt Concilium Tridentinum, quicunque plura Beneficia curata, ſive alia quomodolibet incompatibilia, ſimul receperit, per ademptionem ſecundi pacificè, atque effectualiter poſſeſſi, mox priori beneficio eſt ipſo jure privatus; ſicque iſtud vacat. Ita Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Roſa, & Doctores proximè citandi: quidquid ſpectato Jure communi in oppoſitum teneat Navarrus Conſil. 17. de Præbend. cum nonnullis aliis, quorum fundamentum loco objectionum ponetur.

Ratio Concluſionis eſt. Quia deſactò, ſive per Concilium Tridentinum Seſſ. 7. cap. 4. de Reform. rigor antiquorum Canonum eſt multum exaggeratus: & cum iſti, inducendo vacationem ipſo jure prioris beneficii per receptionem alterius, in cit. c. De multa. h. t. & Extravag. Execrabilis. eod. loquerentur duntaxat de Beneficiis curatis, Dignitatibus, Perſonatibus & officiis, ut dictum: Concilium Tridentinum loc. cit. idipſum extendit ad quæcunque alia incompatibilia Beneficia Eccleſiaſtica; prout loquitur textus ejuſdem num. 285. relatus. Hiſce enim verbis, ut obſervat Rota Decif. 483. num. 4. part. 1. Diverſ. & Fagnanus c. de multa. num. 3.

num. 3. h. t. citans alios, memoratum Decretum Concilii Tridentini loquitur generaliter de quibuſcunque Beneficiis incompatibilibus vigore quoruncunque Canonum: nec ſe refringit ad textum cit. c. De multa. eod. cum oppoſuerit l. v. Præſertim. quæ eſt dictio implicative; atque implicat, ſive denotat, eſſe diſtinctum in cæteris caſibus incompatibilitatis beneficiorum, puta, in Beneficiis aliis incompatibilibus: licèt fortior ratio militet in expreſſis, nempe in illis Beneficiis, de quibus ſit mentio in ſæpè cit. c. De multa. h. t.

295 Porrò inter Beneficia aliis incompatibilia, juxta mentem citati concilii, connumerantur imprimis duo ſimplices Canonici diverſarum Eccleſiarum: nam hi, utpote ſpectato Jure communi requirentes perpetuam reſidentiam, dempſis duobus aut tribus menſibus, juxta Concilium Tridentinum Seſſ. 24. cap. 12. de Reform. cenſentur Beneficia incompatibilia, licèt non ſint curata, nec Dignitates, nec Perſonatus. Deinde id ipſum procedit de Canonico & Eccleſia Parochiali, dummodò hæc non ſit unita Canoniciatui: quia ſecluſa tali unione quodlibet ipſorum requirit perſonalem reſidentiam, qualis ab eodem in diverſis locis præſtari nequit. Item duo Beneficia ſimplicia, ſi quodlibet horum perſonalem reſidentiam requirit; vel ſi primum eorum ſit ſufficiens ad honeſtam Clerici ſuſtentationem: nam & iſta ſunt incompatibilia, ut dictum ſuperius num. 213. 214. & ſeqq. ſicque per aſſecutionem poſterioris vacat prius ipſo jure; prout exemplificat Fagnanus cit. c. De multa. num. 3. & ſeqq. h. t. aſſerens inter alia, quòd primum Beneficium ſimplex, ſi ſit ſufficiens per receptionem alterius ſimilis, & ſimiliter primum perſonalem reſidentiam requirens licèt non curatum, nec ſufficiens, per receptionem ſecundi ſimilis, vacat ipſo jure: ut per Rotam Decif. 497. nu. 1. part. 1. Recent. Et ita ſæpiùs fuit reſponſum à Sac. Congregatione Cardinalium ejuſdem Concilii Interpretum. Hæc ille.

296 Confirmatur, ſimulque exemplificatur Concluſio multiplici Declaratione ejuſdem Sacre Congregationis. Aliquando enim cenſuit, habenti Beneficium ſufficiens poſſe quidem conferri aliud, ſed habitâ poſſeſſione ſecundi, vacare primum ſufficiens; prout reſert Fagnanus loc. cit. n. 4.

297 Atque iſtud ampliatur ad eum caſum, quo ſecundum Beneficium de ſe foret inſufficiens ad honeſtam Clerici ſuſtentationem. Quia enim juxta Concilium Tridentinum Seſſ. 24. cap. 17. de Reform. unum duntaxat beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferri debet, niſi illud ſit inſufficiens: hoc ipſo, ſi quis habeat unum ſufficiens, nequit eidem conferri aliud Beneficium etiam de ſe inſufficiens, ſicque iſtud cenſetur incompatibile cum priori; ac proinde prius, per pacificam alterius ademptionem, vacat ipſo jure. Garcias part. II. de Benefic. cap. 5. n. 300. & 301. Pirhing h. t. n. 186. Fagnanus c. Cum jam dudum. n. 43. & n. 69. eod. referens, quòd Sacra Congregatio ſæpiùs reſponderit, per ademptionem ſecundi beneficii, etiam inſufficiens, vacare primum ſufficiens ipſo jure, ex cap. 4. Concilii. Seſſ. 7.

298 Aliud videtur dicendum in caſu converſo; videlicet, quando habens primum Beneficium inſufficiens ad ſuam honeſtam ſuſtentationem, acquirit ſecundum de ſe ſufficiens: quia non obſtante hujus ſufficientiâ, poteſt ſimul retinere primum inſufficiens. Fagnanus cit. c. Cum jam dudum. n. 56. & ſeqq. h. t. aſſerens, hæc quæſtionem in Congregatione publica, votis tamen hinc inde variantibus, laiè diſcuſſam fuiſſe; ac poſtea num. 57. & 58. iſtam ſententiam tenens: & ſequitur Pirhing cit. num. 186. etſi diſſentiat Garcias cit. part. II. cap. 5. num. 303. & 304. Accedit ratio diſparitatis: ſiquidem habens Reſponſuel Jus Can. Tom. III.

primum ſufficiens, cum jam habeat congruum ſuſtentationem, videtur ad impetrationem ſecundi, licèt de ſe inſufficiens, moveri ex avaritia, & ambitione: quæ tunc præcipue cauſæ, cur pluralitas beneficiorum prohibita fuerit. Econtrà ille, qui habet primum non ſufficiens, juſtè appetit ſecundum ad ſuam honeſtam ſuſtentationem: & quamvis per accidens contingat, quòd iſtud de ſe ſufficiat, non tamen idcirco debet incidere in penam privationis primi inſufficiens: quia appetendo ſecundum non peccat, imò iſtud facit autoritate Legis, ſive Concilii Tridentini Seſſ. 24. cap. 17. de Reformatione. nec ullibi reperitur talis pena privationis impoſita.

Deinde Sacra Congregatio Concilii cenſuit, eum, 299 qui retinere præſumit plura Beneficia incompatibilia ratione reſidentia poſt Concilium, incidere in Decretum Concilii Seſſ. 7. cap. 4. prout reſert Fagnanus c. De multa. num. 4. & 5. h. t. illicò ſubjungens aliam ejuſdem Beneficiorum reſidentiam requirentibus, aut aliaſ quomodocunque incompatibilibus, etiamſi Canoniciatui ſint, aut Portiones, induci vacationem ipſo jure primi per ademptionem ſecundi pacificè poſſeſſi, ex cit. cap. 4. Seſſ. 7. & juxta diſpoſitionem c. De multa. de Præbend.

Aliam, eamque notabilem Declarationem Sacre Congregationis, reſert Garcias d. part. II. de Beneficiis, cap. 5. n. 310. verſ. Septima. & Barboſa part. 3. de Offic. & poteſt. Epifc. allegat. 62. num. 6. citans alios: videlicet, quòd ſi Ordinarium conferat tertium Beneficium habenti jam duo Beneficia ſimplicia, ſed tamen inſufficiens ad ſuſtentationem; collatio tertii valida quidem exiſtat, ſed ſi tertium ſit ſufficiens, vacent illa duo priora beneficia: ſin minis, teneatur proviſus unum ex illis dimittere: & ſi continuaverit poſſeſſionem amborum, recipiendo ex eis fructus, utrumque beneficium vacare cenſetur. Tacentur nonnullæ aliæ Declarationes Sacre Congregationis Concilii: nam relatæ ſufficientiam tum in probationem Concluſionis, tum ad removendum omnem dubium de veritate talium Declarationum, utpote per tam graves Auctores allegatarum; quamquam cæteròquin plena fides eiſdem non debeat, donec in forma authentica exhibeantur, ut jam ſæpiùs dictum.

Atque ideò datam num. 293. Concluſionem tenet 301 Fagnanus, ubi ſuprà, Alſonſus Hoieda Tractatum tom. 25. tract. de Incompatibilit. Benefic. part. 1. cap. 9. n. 5. Barboſa c. De multa. num. 7. h. t. & part. 3. de Offic. & poteſt. Epifc. allegat. 57. num. 6. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloſſ. 15. num. 16. allegans Declarationem Sacre Congregationis Concilii Tridentini ſuper 4. cap. Seſſ. 7. in hæc verba: Quòd de incompatibilibus beneficiis dicitur in hoc cap. 4. idem intelligendum eſt de omnibus beneficiis reſidentiam requirentibus, vel duobus Canoniciatibus, vel Canonico cum Parochiali. Hæc ille, mox ſubjungens aliam Declarationem ejuſdem Sacre Congregationis, adhuc generalis liquentem. Quin imò hæc ſententiam eſſe indubitanter tenendam, ipſamque prædicari in Dataria, & Cancellaria Apoſtolica, & jam teneri in Rota, aſſerit Nicol. Garcias cit. part. II. de Beneficiis, cap. 5. n. 84. 85. & 86. allegans inſuper complures alias Declarationes Sacre Congregationis Concilii.

Dices. Jura juriſus concordanda ſunt, eorumque 302 correctio evitanda; ſi fieri poteſt, c. Cum expediat. 29. de Election. in 6. Atque iſtud in propoſito fieri poteſt: ergo Concilium Tridentinum cit. cap. 4. Seſſ. 7. de Reform. ita intelligendum eſt, ut non corrigat diſpoſitionem d. c. De multa. h. t. neque extendatur ad duo ſimplicia Beneficia perſonalem

residentiam requirement, vel quorum unum sufficit ad honestam Clerici sustentationem. Minor probatur. Tum quia spectato Jure Canonico antiquo Beneficia, etiam incompatibilia propter requisitam in ipsis personalem residentiam, ipso jure non vacant, nisi sint Curata, Dignitates, vel Personatus, de quibus fit mentio in *cit. c. De multa. h. t.* neque Concilium Tridentinum lo. *cit.* expressè contrarium decrevit. Tum quia verba illa relati Concilii Tridentini, aut aliis incompatibilia, sufficienter, & absque ulla Jurium correctione salvantur, si placeat illa intelligere de Dignitate & Personatu non curatis, de quibus pariter loquitur *c. De multa. h. t.* ibidem allegatum. Tum tandem, quia Concilium Tridentinum lo. *cit.* verbis illis: *etiam presentis Canonis vigore*, factis indicasse videtur, quod noluerit novam vacationem ipso jure inducere, sed duntaxat veterem confirmare; statuendo videlicet, ut Beneficia illa, quæ per Jus antiquum, & præsertim per dispositionem *cit. c. De multa. h. t.* forsitan alicubi non exactè observantur, etiam per illud novum vacant ipso jure.

303 Atque idcirco, quantum est spectato Jure communi, & nisi auctoritas Sacræ Congregationis obstitueret, contrariam sententiam fore tenendam, censuit Navarrus *Confil. 17. de Præbend.* quod incipit, *An per ademptionem*: eandemque contrariam sententiam tenet Flamin. *Parifus lib. 3. de Resignat. Benefic. quest. 1. num. 132.* exinde cum pluribus aliis inferens, quod obtinens Beneficium simplex residentiam requirens, si postea obtineat aliud Beneficium simplex pariter residentiam requirens, non vacet ipso jure; sed detur optio eligendi, quod maluerit, & alterum dimittendi. Quam sententiam esse valde probabilem, & in praxi tutam, saltem ubi Decretum Concilii Tridentini *cit. Sess. 7. cap. 4. de Reform.* in eo sensu, & rigore receptum non est, asserit etiam Pirhing *h. t. num. 149. & 154. vers. Ex dictis.*

304 Verum, quidquid sit de contraria consuetudine, seu Concilio Tridentino in tanto rigore alicubi non recepto, sententia Navarii spectato Jure communi sustineri non potest, ob fundamenta num. 294. & seqq. relata. Nec urgent rationes ejusdem Navarii, in oppositum allatæ: negatur enim Minor principalis. Ad cujus primam probationem, negatur Assumptum quoad alteram partem. Ad secundam probationem rursus negatur Assumptum, ob dicta num. 294. Ad tertiam, eamque ultimam probationem, pariter negatur Assumptum: nam dictio illa, *Etiā presentis Canonis vigore*, generaliter perstringit, & afficit omnia Beneficia superius enumerata; hoc est, tam curata, quam aliis incompatibilia beneficia, utpote de quibus omnibus sermo est sub eodem contextu verborum: & hinc vigore illius Canonis æqualiter vacant ipso jure tam plura beneficia curata, quam alia incompatibilia, *arg. l. Jam hoc jure. ff. de Vulgar. & pupill. substit.* Unde corrigit relata Navarii interpretatio: præsertim, cum talis sit prohibita privatis Authoribus respectu Concilii Tridentini; illa verò, ac pluries repetita Declaratio Sacræ Congregationis Concilii, emanaverit legitima cum auctoritate Romani Pontificis; sicque à principio condita Legis, seu Canonis à Concilio Tridentino promulgata, eidem inuisile noscatur, juxta *Authen. de Raptis mulierib. princ. Collat. 9. estque amplius dictum supra in Proæmio Lib. I. §. 8. n. 131. & 132.*

305 Queritur IV. An per receptionem tertii Beneficii incompatibilis vacent omnia priora, quæ quis ex legitima dispensatione antea obtinebat? Resp. I. In illis casibus, in quibus vacat unum beneficium Ecclesiasticum per receptionem, atque pacificam possessionem alterius, vacant etiam plura per receptio-

nem, pacificamque possessionem tertii: adeoque ex dispensatione obtinens duas v. g. Dignitates, Personatus, aut Beneficia curata, si aliam Dignitatem, vel Personatum &c. recipiat, adeptâ effectualiter hujus possessione pacificâ, vacant amba Dignitates &c. prius habitæ ipso jure. Ita textus expressus in *Clem. Si plures. 3. de Præbend.* auctoritate Clementis V. in Concilio Viennensi sic statuit: *Si plures obtinens dignitates aliam dignitatem, aut beneficium curam animarum habens acceptet, dispensatione super hoc legitime non obtentâ, ejus possessione adeptâ pacificè, dignitates, quas prius habebat, ipso facto vacare censemus. Sicut si dignitatem unicam obtinenti alia similis conferatur, ejus pacificâ possessione habitâ, prima de jure vacaret.* Ubi Glossa, Abbas, Vivianus in *Rationali*, Azorius *part. 3. lib. 6. cap. 13. quest. 10. Pirhing h. t. n. 172. & alii.*

Dicitur imprimis in relata Clementina, *Si plures obtinens Dignitates.* Quod cum Glossa *ibid. §. Dignitates.* Azorio *lo. cit.* & Pirhing *cit. n. 172.* ampliat ad obtinentem plures Personatus, vel Beneficia curata; aut alterum cum altero, v. g. Dignitatem cum Personatu, vel hunc cum Beneficio curato: cum sit eadem ratio.

Quin etiam de facto istud ampliat ad alia Beneficia quomodolibet incompatibilia; prout notat Fagnanus *c. Cum jam dudum. num. 69. h. t. & innuit Garcias part. 11. de Benefic. cap. 5. n. 299.* Etenim Concilium Tridentinum *Sess. 7. cap. 4. de Reform.* innovans priores Sacros Canones, ac præsertim *c. De multa. h. t.* ampliat omnia Jura antiqua, sicque etiam allegatum *Clem. Si plures. eod.* ad quamcumque speciem incompatibilitatis: hoc est, non solum ad plura curata, sed etiam ad omnia aliis incompatibilia beneficia Ecclesiastica, juxta dicta paulo superius *n. 294. & seqq.*

Deinde dicitur in eadem Clementina, *dispensatio- ne super hoc legitime non obtentâ*: videlicet, super retinenda illa tertia Dignitate, vel Beneficio curato, unâ cum pluribus illis Dignitatibus &c. antea jam obtentis; ut explicat Glossa *ibid. §. Super hoc.* Et additur, *ejus possessione adeptâ pacificè*, ob dicenda *n. 310. & seqq.*

Ultimò dicitur, *Dignitates, quas prius habebat, ipso facto vacare censemus: sicut si Dignitatem unicam obtinenti alia similis conferatur &c.* Quia plures illæ Dignitates, propter dispensationem habentur loco unius Beneficii; ut notat Vivianus in *Rationali. ibid.* Unde merito, imò & à fortiori, vacant solùm ad præhabitæ Dignitates per adeptam pacificam possessionem tertiam (nisi super hæc pariter extiterit dispensatum) cum Jus commune plus abhorreat tres Dignitates simul retinere, quam duas; ipsæque dispensationes sint odiosæ, ac restringendæ, præsertim circa pluralitatem Beneficiorum, veluti ambitiosam, *c. Quamvis plenissima. 4. h. t. in 6. cum similibus. Concordat c. Non potest. 21. de Præbend. in 6.* ubi dispensatio Apostolica, ut quis duo Beneficia curata simul recipere, ac retinere licitè valeat, restringenda, & intelligenda dicitur de duobus primis Beneficiis, post Indultum illud receptis: sicque tertium in locum primi, vel secundi, subrogare non licet. Glossa in *cit. Clem. Si plures. 3. §. Vacare. h. t.*

Objicies contra datam Conclusionem, majoris claritatis gratiâ. Datâ dispensatione super retinendis duobus Beneficiis incompatibilibus, collatio tertii incompatibilis est invalida; ergo non potest inducere ipso facto vacationem duorum priorum Beneficiorum, per legitimam dispensationem antea possessorem. Consequentia patet: quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, juxta *Reg. 32. Jur. in 6.* Antecedens verò probatur

§. X. De vacatione Beneficiorum per affectuionem &c. 111

ex *c. Ordinarii. 3. §. fin. de Offic. Ordinari. in 6.* ubi dicitur: quod habenti plura Beneficia incompatibilia, etiam ex legitima dispensatione, non possit aliud tale conferri, nisi dispensatio ad illud se extendat, aut nisi provisos illa priora liberè ac spontè resignet: aliter autem de illa Beneficii talibus facta collatio nullius penitus sit momenti. Resp. Quidquid sit de Antecedenti, negando Consequentiam, vel potius Suppositum ejus. Nam in *cit. Clem. Si plures. de Præbend.* sicut & in Conclusionem nostram non dicitur, quòd in dato casu vacatio priorum Beneficiorum, ex dispensatione possessorum, ipso facto inducatur per collationem tertii (revera enim collatio tertii est invalida, sicque non præstat impedimentum) sed solummodo dicitur, quòd post adeptam possessionem pacificam tertii, vacent ipso jure priora illa Beneficia per dispensationem habita. Tali enim vitiosa possessione secuta (cui nempe, quæ est facta non resignatis spontè prioribus Beneficiis, ad quæ simul retinenda dispensatio sese non extendebat) merito vacant ipso jure priora Beneficia juxta *cit. Clem. Si plures. h. t.* cum etiam propter hujusmodi possessionem justam, seu validam, inducatur vacatio ipso jure præhabiti Beneficii, juxta *c. De multa. 28. h. t.* Neque enim decet, ut stultus, five injustus possessor, melioris conditionis existat, quam peritus, five justus; prout in similibus casu Beneficii injulitè occupati statuit, atque argumentatur Pontifex in *c. Eum qui 18. h. t. in 6.* Glossa in *cit. Clem. Si plures. §. Vacare. in fin. h. t.* Garcias *cit. part. 11. cap. 5. num. 171. & alii.*

311 Additur notanter in Responsione, *Quidquid sit de Antecedenti.* Licet enim in dato casu collatio tertii Beneficii revera sit invalida, juxta *cit. c. Ordinarii. §. fin. de Offic. Ordinari. in 6.* idem tamen juris quoad vacationem ipso facto Beneficiorum præhabitorum fuisse, etiam valida extitisset. Nam etiam in hoc posteriori casu beneficium prius non vacat ipso jure per nudam collationem alterius incompatibilis; sed duntaxat per hujus receptionem, seu obtentam pacificam possessionem, *arg. d. c. De multa. h. t. atque amplius n. 318.* dicitur.

312 Quòd si petas, an per *cit. c. Ordinarii. §. fin. de Offic. Ordinari. in 6.* revocatum fuerit *c. De multa. 28. h. t.* juxta quod collatio posterioris Beneficii valida exiit, conformiter dictis supra num. 287. Resp. Negativè. Quia, ut notat Glossa in *cit. §. fin. §. Nullius*, & Fagnanus *c. Clem jam dudum. num. 70. h. t.* Decretales illæ loquuntur de diversis casibus. Siquidem Decretalis *De multa*, loquitur de eo, qui unum tantummodo beneficium obtinebat; quod est de Jure communi, nec inducit inhabilitatem ad aliud Beneficium etiam incompatibile obtinendum: haud obstantes, quòd istud cum priori simul retineri non possit. At verò Decretalis *Ordinarii. §. fin.* loquitur de illo, qui antea obtinebat plura Beneficia incompatibilia dispensative: quod est contra Jus commune; redditur idcirco hominem inhabilem ad aliud beneficium obtinendum absque dispensatione Pape vel præviâ spontaneâ resignatione priorum incompatibilium. Unde non mirum, quòd hæc utraque definitio collatio tertii Beneficii incompatibilis existat invalida, & nullius penitus momenti; cum sit facta contra Sacros Canones, & personæ inhabili.

313 Porrò nullum interest, an collatio Beneficii sit valida, nec ne. Nam si ea existat valida, potest virtute ipsius postea recipi secundum Beneficium ejusque possessio pacifica una cum fructibus: ita tamen, ut hæc obtentâ Beneficiorum teneatur statim dimittere prius beneficium incompatible. Secus dicendum, quando collatio est invalida; nam, quia hæc nullius proptus est momenti, nequit præbere justum

titulum obtinendi aliud beneficium; sicque istud virtute talis collationis, utpote invalidæ, apprehendi non poterit. Interim tamen per factam Beneficii sic invalidè collati, acceptionem non vacat ipso jure præhabita Beneficia; ac proinde Beneficiarius potest eadem retinere, dummodo favori illius consilio; ac videns factam collationem non tenere, illius possessionem non apprehendat. Quòd si verò possessionem ultimi, ac invalidè collati Beneficii apprehendere præsumperit, vacabunt ipso jure præhabita Beneficia ex tam vitiosa possessione: simulque ultimum (seclusâ aliâ sufficienti dispensatione) illicitè, ac invalidè detinebitur. Glossa in *cit. Clem. Si plures. §. vacare. h. t.* juncto textu *ibid. & c. Eum qui 18. eod. in 6.*

Queritur V. Utrum is, qui secundum Beneficium una cum primo incompatibili simul retinere præsumperit, privetur utroque? Resp. I. Spectato Jure antiquo, atque relato in *c. De multa. 28. h. t.* privato secundi Beneficii incompatibilis cum primo, non inducebatur ipso jure; sed opus erat sententiâ Judicis privantis secundo Beneficio illum, qui primum unâ cum secundo retinere contenderat. Ita colligitur ex verbis *cit. c. De multa. h. t. ibi: Et si forte illud (primum, ac ipso jure vacans Beneficium curatum &c.) retinere contenderit, etiam alio spoliatur.* Nam *lib. 1. spoliatur*, actionem Judicis importat: sicque sensum facit: etiam alio spoliatur, scilicet per sententiam; prout loquitur Innocentius *ibid. §. Contenderit.* Garcias *part. 11. de Benefic. cap. 5. n. 7. & 94. & Pirhing h. t. n. 150.*

Addit Glossa in *cit. c. De multa. §. Contenderit. 315 h. t.* ad hoc, ut quis secundo etiam Beneficio spoliari poterit, fuisse requisitum, quòd quis primum beneficium cum secundo retinere contenderit; id est in jure contentiosè retinere voluerit. Si enim, (subjungit eadem Glossa) talis ante litem contestatam destituerit, non privabitur utroque: sicut & in aliis Statutis sub pena, l. Amplius ff. Rem ratam haberi. Verum Innocentius *cit. c. De multa. n. 2. §. Vel dic.* & nonnulli alii, quos refert Fagnanus *ibid. n. 6. h. t.* oppositum tenerunt, dicentes, quòd ex sola retentione primi Beneficii cum secundo incompatibili Beneficiarius poterit privari utroque, etiam si, quando incipit conveniri, voluisset dimittere prius, utpote ipso jure vacans. Quia (ajunt) satis manifesta causa privandi aderat, ex quo quis non obtemperabat Canonis sic præcipienti: simulque, quia Beneficiarius furtim committebat, percipiendo fructus prioris Beneficii, quo privatus erat ipso jure. Hæc tamen difficultas sublata fuit ex post facto, uti notat Abbas in *d. c. De multa. num. 10. & Fagnanus ibid. n. 7. h. t.* allegans alios: unde

Resp. II. Si quis de facto plura curata, vel aliis incompatibilia Beneficia, quocumque modo contra formam Sacrorum Canonum recipere, ac simul retinere præsumperit: non solum primo, juxta hæcenus dicta, sed etiam secundo, ipso jure privatus existit. Ita Glossa *fin. in Clement. Si plures. h. t.* Abbas in *c. Quia nonnulli. num. 4. de Cleric. non resident. & c. De multa. num. 10. h. t.* hanc Conclusionem probans ex *Extravag. Execrabilis. Joann. XXII. h. t.* ubi Pontifex, *§. Qui vero deinceps*, decrevit, quòd recipiens secundam Dignitatem, Personatum, seu Officium (intellige, perpetuum, juxta dicta superius num. 292.) aut aliud Beneficium curam animarum habens annexam, teneatur prius beneficium (utpote, quo privatus est ipso jure) absque moræ dispendio in manibus Ordinariorum dimittere: & si id non fecerit, ex tunc fit ipso jure etiam secundo privatus; simulque efficiatur inhabilis ad Beneficia, & Ordines: prout liquet ex verbis ejusdem Extravagantis, supra num. 284. relatis. Verum quia

citata Extravag. Execrabilis, non loquitur generaliter de quibuscunque Beneficiis incompatibilibus, sed solummodo de Dignitatibus, Personatibus, Officiis, atque Beneficiis curatis.

317 Hinc eandem Conclusionem pro moderno tempore, ac generaliter loquentem, tenet Garcias part. 11. de Benefic. c. 5. n. 94. & n. 381. allegans Declarationem Sacre Congregationis Concilii. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 54. n. 30. & allegat. 62. n. 29. Fagnanus cit. c. De multa. num. 7. & 8. & c. super inordinata. n. 9. h. t. istud præter allegatam Extravag. Execrabilis, Joann. XXII. probans ex Concilio Tridentino Sess. 7. cap. 4. de Reform. ac supra num. 285. jam relato, ponderando verba illa: Recipere, ac simul retinere præsumpsit, beneficiis ipsi, ipso jure, etiam præsentis Canonis vigore, privati existit. Nam locutio illa in plurali, Beneficiis ipsi, utrumque beneficium simul retentum complectitur; sicque vacationem utriusque ipso jure inducitur, clarè demonstrat.

§. XI.

De requisitis ad vacationem ipso jure Beneficiorum incompatibilium, horumque dimissione, & collatione.

SUMMARIUM.

- 318 Ad inducendam ipso jure vacationem prioris Beneficii incompatibilis, non sufficit sola assuecutione de consequendo alio, neque hujus collatio: sed requiritur vera ejus assuecutione, atque possessio.
- 319 Et quidem possessio pacifica.
- 320 Possessio pacifica prioris Beneficii, quando censetur acquisita?
- 321 Quæ in continenti sunt, inesse videntur. Ibid.
- 322 Præter beneficium non vacat per receptionem secundam, quando fructus istius ex causa alius percipit. Et num. seqq.
- 323 Secus, si per Provisum steterit, quo minus possessionem, aut fructus ejusdem habeat.
- 324 Beneficium prius habita, quando vacat per promotionem ad Episcopatum? Et num. seqq.
- 325 Et quid dicendum spectato stylo Curie?
- 326 Ac loquendo de Episcopis Titularibus.
- 327 Post assuecutionem pacificam secundam Beneficii incompatibilis, dimissio prioris debet fieri statim, & in continenti.
- 328 Intellegendo ly Statim, & in continenti, cum aliquo temperamento.
- 329 Referitur, ac rejicitur sententia, concedens mensem pro dimissione prioris Beneficii incompatibilis.
- 330 Dimissio illa prioris Beneficii, respicit solum factum.
- 331 Debetque fieri pure, ac simpliciter: non verò ex causa permutationis, neque in favorem tertii &c.
- 332 Et ratio istius.
- 333 In casu recepti pacificè secundam Beneficii incompatibilis, Collator prioris liberè istud potest, ac debet conferre intra sex menses &c.
- 334 Verbum, Liberè conferat, quid importet?
- 335 & 335. Collator ejusmodi, si conferre distulerit, incurrit duplitem penam; & quam?
- 336 Licet tunc prius Beneficium liberè conferri possit, non tamen in hujus possessionem potest induci is, cui collatum est, priore possessore irrequisito.
- 337 Et hujus ratio.
- 338 Privatio, seu vacatio ipso jure, prioris Beneficii per pacificam receptionem alterius incompatibilis, est intelligenda quoad titulum, non quoad possessionem.
- 339 In praxi quid agendum illi, cui prius Beneficium

ipso jure vacans collatum fuit? Hæcenus dicta procedunt etiam in aliis casibus, in quibus Beneficium præhabuit ipso jure vacat.

Quæritur I. Utrum facta assuecutione, vel saltem collatione secundam incompatibilis, illico vacet ipso jure præhabuit Beneficium; vel quæ alia ad hoc requirantur? Resp. I. Ad inducendam ipso jure vacationem prioris Beneficii incompatibilis non sufficit sola assuecutione de consequendo altero beneficio: neque etiam sola hujus collatio; & acceptatio: sed ulterius requiritur istius posterioris vera assuecutione, atque possessio pacifica. Ita Glossa c. De multa. §. Post receptionem. & Abbas ibid. num. 16. & Fagnanus n. 9. & Barbosa n. 8. h. t. Flamin. Parisius de Resignat. Benefic. lib. 3. cap. 1. n. 129. allegans Rotam in una Florent. Canonialis & Præbendis, coram Card. S. Crucis, die 11. Martii 1558. & in una Panormitan. Beneficiorum, coram D. Fabio Accorambono. 9. Januarii. 1548. Card. de Luca de Beneficiis, Discurs. 56. num. 5. Garcias part. 11. de Benefic. cap. 5. n. 100. & seqq. citans plures alios. Accedit ratio; tum quia illud importat verbum, Recipere, contentum in Concilio Tridentino Sess. 7. cap. 4. de Reform. ac verbum illud, Post receptionem alterius, videlicet corporalem, positum in d. c. De multa; ac notat Glossa ibid. istud probans ex can. Si quis jam transtulit. 21. q. 2. Concordat textus, & Glossa in can. Si quis Episcopi. dist. 92. §. Ubi prior. illis verbis: Si habuerit corporalem possessionem per se, vel per alium ejus Ecclesie. Tum quia in Jure verba accipienda sunt cum effectu, ut dicitur c. Relatum. 4. de Cleric. non resident. junctis concordantiis per Glossam ibid. §. Cum effectu, allegatis: sicque sola assuecutione de consequendo posteriori beneficio incompatibilis, non sufficit ad inducendam ipso jure vacationem prioris, nisi secutus fuerit etiam effectus corporalis possessionis, & quidem pacificæ.

Additur notanter, pacificæ. Nam, ut vacet prius Beneficium post collationem, atque receptionem alterius incompatibilis, requiritur, ut provisum hujus possessionem pacificam habuerit, vel per eum steterit, quò minus haberet eandem. juxta textum notabilem in c. Licet Episcopus. 28. h. t. in 6. Quidquid olim in contrarium tenuerit Innocentius c. De multa. n. 2. & 4. h. t. Nam ejus opinio hodie correctæ est, per cit. c. Licet Episcopus. eod. in 6. ac notat Fagnanus in d. c. De multa. n. 10. h. t. Idque merito: quia incertus est litis eventus, l. Quod debetur. ff. de Peculio: neque tenetur quis se exponere periculo, ut careat utroque Beneficio, dimittendo videlicet prius antea obtentam pacificam possessionem posterioris.

Cæterum Possessio pacifica posterioris Beneficii censetur acquisita, quando ea non est litigiosa; sed absque controversia juris, vel facti, judiciali & extrajudiciali, obtinetur. Garcias d. part. 11. cap. 5. n. 105. citans plures alios. Sive, ut alii loquentur, talis Possessio pacifica habetur, quando quis Beneficii possessionem nactus, in ista in continenti non turbatur: hoc est nullam patitur juris, vel facti controversiam. Et additur primo, vel facti: quia ad tollendam pacificam possessionem sufficiunt extrajudiciales molestiæ. Card. de Luca cit. Discurs. 56. de Benefic. n. 5. allegans Decis. 1254. Rote, apud Seraphinum. Additur ulterius, in continenti: nam secus, si vel in ipsamet apprehensione secundam Beneficii lis sibi moveatur, l. Si post per seclam. C. de Evictionib. vel saltem in continenti post arbitrio boni viri, arg. c. Officium. 38. de Election. Glossa c. Commissa. §. Pacificam de Election. in 6. Flamin. Parisius lib. 3. de Resignat. Benefic. cap. 1. n. 131. & alii. Siquidem, quæ in continenti sunt, inesse videntur, l. Lecta est. ff. De Rebus creditis, Si certum petatur. Unde possessio non censetur pacifica fuisse, quæ non durat

vit, c. Nam & ego. de Verb. signifi. junctis concordantiis à Glossa fin. ibid. adductis. Si autem possessio pacifica semel acquisita fuit, non desinit esse talis, licet ex post facto (puta, post mensem, aut duos menses, vel post liberè administratam aliquandiu curam animarum) desuper controversia moveatur. Glossa cit. c. Commissa. §. Pacificam de Election. in 6. estque jam dictum supra Lib. 2. Tit. 12. De Causa possessionis &c. §. 1. n. 23.

321 Resp. II. Insuper non censetur prius Beneficium ipso jure vacare per receptionem secundam incompatibilis, quando fructus istius ex causa etiam nullum alius percipit. Ita Abbas c. De multa. n. 16. h. t. estque clarè decisum c. Si tibi concessio. 26. h. t. in 6. ac notat Glossa, Ancharanus, Vivianus, Barbosa ibid. & communis. Accedit ratio: quia talis nondum adeptus est plenè, atque effectualiter secundum Beneficium. Licet enim istud jam obtinuerit, atque pacificè possideat, fructus tamen ejus non habet; sicque cum effectu nondum censetur id recipisse, ac proinde redeunt dicta num. 318. Confirmatur id ipsum: quia aliquoquin sequeretur, quod talis cogereur mendicare; cum fructus ex secundo beneficio non haberet, primum autem privatus existeret: quod utique foret absurdum.

322 Additur notanter, ex causa alius percipit: puta, quia Papa concessit Episcopo, ut fructus Beneficiorum proximè vacatorum, ad certum tempus pro solvendis debitis percipere valeat; prout est casus in c. Si propter. 10. de Rescript. in 6. & c. Si tibi concessio. h. t. in 6. Nam secus dicendum, aut fructus secundam Beneficii habeat: hæc enim limitatio expressè habetur in c. Licet Episcopus. 28. h. t. in 6. & c. Commissa. 35. §. 1. de Election. in 6. ubi possessio pacifica Beneficii adeptæ, & mora eam petendi, æquiparatur, illis verbis: Possessionem ejus pacificam habuisti, vel per te stetit, quò minus haberet eandem. Simile quid habetur in Extravag. Execrabilis. Joan. XXII. §. Qui verò deinceps. h. t. Idque salubriter statutum fuit ad præcavendum fraudibus nonnullorum, sub hoc prætextu plura Beneficia occupantium: nam fraudes, & dolus, alicui patrocinarum non debent, c. Ex tenore. 16. de Rescript. & alii.

323 Resp. III. Limitatur quoque data num. 318. Conclusio quoad alteram partem in Episcopatibus. Siquidem Beneficia Ecclesiastica prius habita non vacant per solam promotionem ad Episcopatum, atque obtentam ejus pacificam possessionem: sed primum post secutam consecrationem, aut saltem, postquam elapsum est tempus ad obtinendam consecrationem à Sacris Canonibus præfixum; quod cessante inevitabili necessitate, est ipsatum trium mensium post confirmationem numerandorum, can. 2. dist. 75. & can. Quoniam. dist. 100. juncto Concilio Tridentino Sess. 7. cap. 9. & Sess. 23. cap. 2. de Reform. Conclusio hæc, seu prænullorum limitatio, habetur clarè ex c. Cum in cunctis. §. Cum verò. de Election. & notat ibi Glossa §. Tempore. Abbas num. 3. & Barbosa ibid. n. 29. & part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 57. n. 67. cum pluribus aliis, quos allegat.

324 Atque istud procedit spectato Jure communi. Siquidem in provitis de Episcopatu per Summum Pontificem, istud de stylo Curie non servatur; ut inquit Barbosa cit. c. Cum in cunctis. n. 29. de Election. & Flamin. Parisius lib. 3. de Resignat. Benefic. cap. 1. num. 77. & 78. cum aliis, quos citat. Idque solet accidere ex eo: quia Papa in promotione ad Episcopatum consistorialiter facta, consuevit decernere, Beneficia præhabita vacare eo ipso à die promotionis. Rota Capuaquens. Abbatis. 16. Maii 1620. coram Duno-zeto. Alias verò, ubi non adest expressum Decretum vacationis præhabitorum Beneficiorum, standum erit Juri communi. Barbosa cit. num. 29. alle-

gans Rotam coram Card. Seraphino Decis. 110. & Garcias part. 11. de Beneficiis, cap. 6. num. 9. citans aliam Rotam in una Phares. Penionis. coram SS. Clemente VIII. quæ est l. part. Divers. Decis. 23. Quod ipsum, quidem à fortiori, ac juxta formam Rescripti Pontificii, intelligendum est, quando promotus ad Episcopatum à Papa obtinuit prorogationem, vel retentionem præhabitorum Beneficiorum: de quo plura Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 57. n. 69. & 70.

Verum tamen proximè dicta non procedunt in Episcopis Titularibus, seu promotis ad Episcopatum in terris Infidelium existentibus. Nam hoc loco, quòd tales non acquirunt pacificam suorum Episcopatum professionem, fructuque ipsorum, nec per eos fiet istos acquirere: non censetur vacare præhabita ipsorum Beneficia. Navarus Consil. 14. n. 5. de Election. Garcias part. 11. de Benefic. cap. 6. n. 24. Barbosa d. allegat. 57. n. 74. cum aliis, quos citat.

Quæritur II. Quomodo post assuecutionem posterioris Beneficii incompatibilis, sit dimittendum prius Beneficium? Resp. I. Post receptum secundum beneficium incompatibile, & acquisitam hujus pacificam possessionem una cum perceptione fructuum, ut supra, dimissio prioris Beneficii Ecclesiastici debet fieri statim, & in continenti. Ita Abbas c. De multa. n. 10. h. t. & c. Quia nonnulli. n. 4. de Cleric. non resident. Pirhing h. t. n. 55. Garcias part. 11. de Benefic. cap. 5. n. 36. & seqq. allegans alios. Ratio est: quia tunc ipso jure jam vacat prius Beneficium; ac proinde, nisi illud statim & in continenti dimitteretur, inciperet quis retinere alienum: quod est illicitum, ac injustum.

Notat tamen memorati Auctores, & alii, quòd prædictum ly, statim, & in continenti, fit intelligendum cum aliquo temperamento, seu temporis spatio: donec nimirum cerò constet, haberi pacificam, simulque frugiferam posterioris Beneficii possessionem, juxta arbitrium boni viri, arg. l. Ratum. & l. Quod dicitur. ff. de Solutionib.

Fatendum quidem est, quòd Hojeda cit. part. 11. de Incompatibil. Benefic. cap. 9. nu. 6. in fin. Zerola part. 1. Praxis Episcop. §. Beneficia. §. Ad tertium. circa fin. & nonnulli alii, quos citat Garcias, ubi supra, n. 25. satis esse afferant, si intra mensem à tempore assuecutionis secundam Beneficii incompatibilis realiter, & cum effectu dimittatur prius, arg. cit. Extravag. Execrabilis. Joan. XXII. h. t. Verum tamen hæc sententia non caret difficultate: nam in cit. Extravag. §. Statuimus. conceditur mensis solummodo ad eligendum unum ex pluribus Beneficiis, quæ tunc per legitimam dispensationem à quibusdam obtinebantur. At verò in posteriori §. Si verò deinceps. ubi agitur de prohibita pluralitate Beneficiorum imposterum obtinendorum, non amplius conceditur mensis pro dimissione prioris post receptum secundum Beneficium incompatibile, sed expressè præcipitur, ut post pacificam possessionem alterius (aut si per Beneficium stetit, quò minus illam habeat) prius Beneficium absque moræ dispendio in Ordinarij manibus dimittatur pari modo. Nec obstat istud appositum ly, pari modo. Hoc enim negit denotare concessionem mensis pro facienda dimissione prioris Beneficii (nam istud repugnat præcedentibus verbis, absque moræ dispendio) sed duntaxat vult Beneficium præhabuit esse dimittendum in manibus Ordinarij pari modo, id est, verbo & facto, & sine fraude, cum effectu, & sub testimonio publico, ut supra ibidem statuebatur: simulque, ut id fiat non expectata sententia privatorum facti, vel litis contestatione, prout explicat Glossa ibid. Alioquin verò ex tunc ipso jure inducatur privatio secundam Beneficii, una cum inhabilitate ad Sacros Ordines suscipiendos, & habendum quocunque beneficium Ecclesiasticum.

- 329 Resp. II. Eiusmodi dimissio prioris Beneficii, utpote vacantis ipso iure post affectionem alterius in incompatibilis, respicit solum factum. Ita Glossa in d. Extravag. Execrabilis. Joan. XXII. y. Dimittere; & in re communis. Siquidem Clericus iure, in tali Beneficio sibi quondam competente, iam est privatus ipso facto per receptionem alterius incompatibilis: ac proinde jus illud amplius dimittere non potest, etsi Beneficium præhabuit dimittere valeat quoad factum, videlicet; istud coram Ordinario, sub testimonio publico, verbaliter, & realiter cum effectu dimittendo; sicque relinquendo possessionem ipsius, & abstinendo penitus à perceptione obventionum eiusdem: prout habetur cit. Extravag. Execrabilis. iunctâ Glossâ y. Sub testimonio. & seq. ibid. Quamquam ex recepta, & approbata consuetudine, sufficit sola realis & cum effectu, ac sine fraude facta prioris beneficii dimissio, etsi hæc non fiat coram Ordinario, sub publico testimonio, ac verbaliter. Zerola, ubi supra. Garcias cit. part. II. cap. 5. n. 46. Pirhing h. t. n. 154. & alii.
- 330 Resp. III. Prius Beneficium adepto altero incompatibili debet purè, ac simpliciter dimitti: adeoque non potest resignari ex causa permutationis, v. g. cum alio simplici; neque in favorem tertii (nisi cum expressione huius circumstantiæ, seu vacationis ipso iure, cotam Summo Pontifice) neque cum reservatione pensionis, aut huiusmodi. Ita Rebuffus in Praxi Benefic. tit. de Dispensatione ratione ætatis. y. Quoad vixeris. n. 8. & 9. citans multiplicem Rotam. Hoieda, ubi supra, part. 3. cap. 4. num. II. & cap. 13. nu. 62. Flamin. Parisius lib. 3. de Resignat. Benefic. cap. 1. n. 50. & seq. Garcias d. cap. 5. n. 58. aliterens, ita fuisse resolutum in una Illerd. Portionis. ann. 1593. coram Illust. D. Pamphilio. Pirhing. h. t. n. 154. & alii.
- 331 Accedit ratio. Quia, qui nullum jus habet in Beneficio, non potest illud resignare, aut permutare: atqui Clericus post adeptam pacificam possessionem secundi incompatibilis, nullum jus habet in priori Beneficio, utpote quod ipso iure vacat, juxta hæcenus dicta; ergo. Majorem tradit Flamin. Parisius cit. cap. 1. n. 51. & 79. & 80. citans plurimos alios, & communem. Et ratio clara est: quia nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur, prout loquitur Reg. 79. Jur. in 6. cum concordantibus; ergo cum Beneficio privatus ipso iure, nullum amplius in eo jus habeat, hoc ipso tale jus per resignationem, aut permutationem amplius transferre non potest.
- 332 Queritur III. Qualiter, & sub qua obligatione, conferendum sit Beneficium vacans ob affectionem alterius incompatibilis? Resp. I. In casu recepti pacificè secundi Beneficii incompatibilis, Collator prioris liberè potest, simulque debet istud conferre intra sex menses: alioquin ipse punitur. Ita textus expressus in c. De multa. 28. h. t. illis verbis: Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius liberè conferat, cui meriti viderit conferendum: & si ultra sex menses conferre distulerit, non solum ad alios secundum Lateranensis Concilii statutum ejus collatio devolvatur, verùm & tantum de suis cogatur provenibus in utilitatem Ecclesiæ, cujus est illud beneficium, assignare: quantum à tempore vacationis ipsius consisterit esse perceptum. Hæc ibi: atque amplius declarant Glossa, Jo. Andreas, Abbas, Fagnanus, Barbosa in Collectan. ibid. alique passim.
- 333 Dicitur imprimis, liberè conferat. Tum quia Collator ordinarius potest ejusmodi beneficium, utpote post pacificam ademptionem alterius ipso iure vacans, conferre liberè; hoc est, sine requisitione alterius: adeo, ut non teneatur vocare possessorem, aut ipsum præmonere, seu citare; neque etiam cogatur expectare licentiam Episcopi. Hoc enim importat dictio, Liberè: quia non esset libertas, si alium de-

beret requirere. Abbas cit. c. De multa. num. 3. & Fagnanus ibid. n. 15. & Barbosa n. 9. h. t. cum communi. Tum quia Collator intra sex menses, à die habite notitiæ, quod Clericus obtinuerit pacificam alterius incompatibilis beneficii possessionem, computandis, non solum potest, sed etiam tenetur illud, utpote ipso iure vacans, alteri conferre; prout denotatur per ly, conferat, quod importat preceptum: iunctâ duplici pœna illicò apposita, si illud intra memoratum tempus conferre prætermittat. Unde

Dicitur ulterius, & si conferre distulerit &c. Quibus verbis signatur duplex pœna, quam Collator Beneficii, v. g. Episcopus, negligens conferre beneficium per affectionem alterius ipso iure vacans, incurrit. Prima est, ut jus conferendi devolvatur ad alios: nempe gradatim ad proximum Superiorem, vel ab Episcopo ad Capitulum, juxta Constitutionem Concilii Lateranensis, sub Alexandro III. celebrati, que refertur in c. Nulla. 2. de Concessio. Præbend. etique amplius dictum supra §. 6. n. 161. & seqq.

Altera pœna est, quod ejusmodi negligens Collator tantum de suis provenibus cogatur in utilitatem Ecclesiæ, cujus est beneficium non collatum, assignare, quantum à tempore vacationis ex fructibus ipsius consisterit esse perceptum: prout liquet ex allegato textu cit. c. De multa. h. t. Idque merito: quia delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, ut loquitur Reg. 76. Jur. in 6. juncto can. Si Episcopus. 16. q. 6. Unde Collator, v. g. Episcopus, ex propriis provenibus cogitur refundere Ecclesiæ, quantum ex fructibus ejus, tempore vacationis, perceptum fuisse, consisterit nempe, consisterit, factâ fide coram Judice per juramentum Rectoris Ecclesiæ, vel Syndici ipsius, præmissâ taxatione, juxta cap. ult. De vis, que vi metusjura causa &c. ac notat Jo. Andreas in cit. c. De multa. n. 11. & Fagnanus ibid. num. 19. h. t. allegans alios. Et si Collator proprios provenitus non habeat, puniendus est aliâ pœnâ ad arbitrium Judicis. Glossa cit. c. De multa. y. Provenibus. Jo. Andreas, Fagnanus, ubi supra, & alii. Qui addunt, istud fieri non solum propter negligentiam, sed etiam propter delictum Collatoris: quia differendo collationem, præsumitur favere detentori beneficii jam vacantis ipso iure, atque vitium ejus palliare; sicque hæc alterâ pœnâ punitur.

Resp. II. Quamvis posteriori Beneficio pacificè, atque effectualiter adepto, prius incompatibile liberè conferri possit, ut dictum: non tamen in hujus possessionem potest Episcopus inducere eum, cui collatum est, priore possessore irrequisto, seu non vocato. Ita communis omnium; etique clarè decisum in c. Licet Episcopus. 28. h. t. in 6. illis verbis: Licet Episcopus beneficium, quod cum animarum cura tenebat (postquam aliud recepisset) commisit, ac ipsius possessionem pacificam habuisset, vel per te stetit, quo minus haberet eandem, possit alteri de jure conferre: illum tamen, cui commiserit, non debet in non vocato (cum tibi forsitan jus possit competere retinendi) in possessionem ipsius inducere corporalem. Ita Pontifex, rescribens pro declaratione c. De multa. 28. h. t. cupiam super hoc eum consulti.

Accedit ratio. Quia potest contingere, ut affectus secundum Beneficium, de se incompatible cum priori adhuc possit prius retinere; ut purè, quia secum legitime fuit dispensatum; vel quia ex causa justa nondum percipit fructus secundi Beneficii, aut huiusmodi; prout innuit textus allegatus, iunctâ Glossâ fin. & DD. ibid. Quin imò generale est, quod nemo inauditus, ac sine causa cognitione, privandus sit sua possessione, vel quasi possessione, can. Quia res. II. q. 1. Et si quis vi, vel clam spoliatur sua possessione, plura extant Remedia recuperandæ possessionis

§. XI. De requisitis ad vacationem ipso iure Beneficio. &c. 115

- Recipientes plura incompatibilia Beneficia non excusantur ex longa possessione. num. 349.
- Regula Cancellariæ, De Trienniali, non excludit Ordinarium inquirentem de justo Titulo Beneficii. Ibid.
- Fundator potest in fundatione Beneficii ponere certas leges, & condiciones &c. n. 350.
- Prima vacatio Beneficii, vel Prælatuæ, durat usque ad confirmationem alterius Prælati. num. 352.
- Simonia realis, & confidentialis, commissæ in Beneficiis, quas pœnas inducat? n. 361. & 362.
- Sodomitæ crimen nefandum, qualiter punitur? num. 367.
- 368 Privatio, seu vacatio Beneficiorum ipso iure, in pœnam commissi criminis statuta, regulariter non obligat in Foro conscientie, ante sententiam declaratoriam.
- Refertur contraria quorundam sententia. Remissivè. Ibid.
- 369 Per sententiam amittitur Beneficium, quando sententia privationis (condemnatoria videlicet) requiritur post crimen &c.
- 370 Privatio Beneficiorum nunquam est imponenda, nisi in casibus à Jure expressis.
- 371 Vacatio Beneficii ipso iure, & vacatio seu privatio ejus per sententiam, differunt multipliciter quoad suos effectus. Et num. seqq.
- 372 Beneficium vacans ipso iure, vacat in puncto contracti, v. g. matrimonii, vel commissi criminis: secus dicendum de privatione, sive vacatione Beneficii per sententiam.
- 373 Data vacatione Beneficii ipso iure, statim potest illud alteri conferri: secus, quando quis primam est eo privandus per sententiam.
- 374 Beneficiarius, cujus beneficium vacat ipso iure absque crimine, v. g. ob contractum matrimonium, tenetur statim dimittere beneficium; & alioquin fructus non facit suos &c.
- 375 Idemque dicendum, quando ob crimen qui incurrit privationem beneficii ipso iure, ac secuta est sententia declaratoria super crimine admissio. Secus quando per sententiam condemnatoriam quis privatur beneficio.
- 376 Beneficiarius ipso iure privatus beneficio, non potest istud resignare, permutare &c. Secus, si eodem venit privandus per sententiam.
- 377 Aliæ differentiæ, Remissivè.

§. XII.

De variis modis, quibus Beneficia ipso iure vacare dignoscuntur: ubi & de vacatione ipsorum per sententiam.

S U M M A R I U M.

- 341 Beneficia Ecclesiastica, quibus modis generatim vacare dignoscuntur? Et num. seqq.
- 342 Nullus casus, nullumque crimen inducit privationem Beneficii ipso iure, nisi istud reperitur Jure expressum.
- In pœnis benignior est interpretatio faciendâ. Ibid.
- 343. 344 usque ad num. 367. Enumerantur triginta, vel plures modi, in quibus Beneficia ipso iure vacant.
- Mors omnia solvit. num. 343.
- Pœnia sunt, non esse; & non apparere. n. 348.
- Obtinens plura incompatibilia Beneficia tenetur Ordinarius locorum, id postulantis, exhibere dispensationes suas. num. 348. & 349.

fionis in Jure prodita; de quibus ex professo actum fuit supra Lib. 2. Tit. 13. de Restitutione Spoliatorum. §. 2. num. 25. & seqq. Aded, ut etiam prædo, si spoliatur rebus à se possessis, secundum rigorem juris sit restituendus, c. in literis. 5. de Restitut. spoliat.

338. Dices. Vacatio prioris beneficii ipso iure inducitur fuit per receptionem, atque pacificam possessionem alterius incompatibilis; ergo nihil obstat videtur, quò minus is, cui liberè illud collatum est, etiam liberè in ejus possessionem inducatur: nam, ut ex Phisicis patet, forma (sive jus ad Beneficium) ejusque privatio, simul consistere nequeunt. Resp. neg. consequent. cum sua probatione. Nam privatio, seu potius vacatio illa prioris beneficii propter incompatibilitatem alterius, intelligenda est duntaxat quoad titulum, seu jus retinendi beneficium; non vero quoad possessionem: sub enim Clericus possessor privari non potest, nisi eo citato, & causâ cognita, atque intellecto, quòd nullum jus retinendi possessionem beneficii amplius sibi competat, ut dictum. Hoc ipsum patet ex c. Cum nostris. 6. de Concessio. Præbend. ubi Præpositura de jure vacans propter adeptum Episcopatum, censetur non vacasse de facto, eò quòd possideret adhuc ab Episcopo: unde mandavit Pontifex, ut vel oblatere Episcopum justam causam remitte Præposituræ, ac possessionis ipsius; vel ad resignationem hujus compelleretur.

339 Resp. III. Quantum ad praxin attinet, ille, cui prius Beneficium, per pacificam alterius Beneficii ademptionem ipso iure vacans, à Collatore Ordinario collatum fuit, adeat Episcopum, sive Ordinarium loci: atque exhibito factæ sibi collationis legitimo testimonio, coram ipso agat, inqueste, ut sibi possessio ejusdem beneficii realiter, & cum effectu tradatur: quo factò in causa summariter procedendum est, citato tamen, & audito priore possessore. Ita desumitur ex cit. c. Licet Episcopus. ac notat Vivianus in Rational. ibid. §. fin. h. t. in 6. cum aliis. Concordat c. Tum ex literis. 5. De in integrum restitut. ubi in simili casu Papat sic processisse, legitur.

340 Et que hæcenus dicta sunt de collatione prioris Beneficii, per pacificam adeptam possessionem alterius incompatibilis ipso iure vacantis, non sunt quid specialia, seu in casu decreti dicti c. De multa. h. t. ex indulgentia illius Decretalis duntaxat concessum: sed procedunt generaliter in aliis etiam casibus, in quibus Beneficium præhabuit ipso iure vacat. Innocentius in cit. c. De multa n. 3. Vers. Nos quantum ad hoc. & Fagnanus ibid. n. 16. Quod ultimum ut melius intelligatur, sit

Queritur I. Quibus modis generatim Beneficia Ecclesiastica ipso iure vacare dignoscuntur? Respon. Pluribus modis id accidere: prout videre est apud Nicol. Garciam part. II. de Beneficiis, à cap. 2. usque ad cap. 10. fulsime de hoc differentem. Concordat Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 57. n. 199. & seqq. quadraginta tales vacationum modos enumerans. Rebuffus in Praxi Benefic. tit. De modis amittendi Beneficia. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 15. à nu. 3. usque ad n. 133. per ordinem recensens quinquaginta duos modos, quibus Beneficia Ecclesiastica ipso iure vacant: & alii.

Solummodo nota pro regula, quòd nullis casibus, nullumque crimen, etiam privatione beneficii dignam, inducat privationem hujus ipso iure; nisi istud reperitur Jure expressum. Nihil pœna tam gravis attendenda non est absque Jure claro: Siquidem interpretatione Legum pœnæ molliendæ sunt potius, quàm exasperandæ, ut dicitur L. 42. ff. de Pœnis: ac proinde in dubio præsumitur quis per sententiam beneficium privandus, non autem ipso iure privatus; cum odia sint restringenda, atque in pœnis benignior sit interpretatio facienda, juxta Reg. 15. & 49. Juris in 6. Gonzalez, ubi supra, n. 153. Garcias part. II. cap. 10. n. 5. Barbosa d. allegat.